



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

De Thesaurario S. Officii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

ni juramento & verbis consuetis :  
*Esto Notarius, & fidelis.*

18. Munus Notarii S. Officii est diligenter & fideliter scribere acta S. Officii, recipere denuntiationes coram Inquisitore, vel ejus Vicario, instrumenta ad hoc Tribunal spectantia recipere, & alia peragere, quæ Notarii in similibus Tribunalibus facere consueverunt; In primis vero servare debet secretum, quod promittere debet, sub poena perjurii, & excommunicationis latae sententiæ *Carena de Offic. inquis. p. 1. tit. 12.*

*De Thesaurario sancti Officii.*

19. Congregatio S. Officii specialiter decrevit, fructus, redditus, & proventus uniuscujusque Inquisitionis nõ Inquisitoribus, sed Thesaurario S. Officii consignandos ab eoque asservandos esse.

20. Eligi vero debet in Thesaurarium vir probus & locuples, qui que sciat rationes conficere & referre, ac, si ita visum fuerit Inquisitori, fide jubeat de re fiduis persolvendis.

21. Sæpius in anno arbitrio Inquisitoris rationes reddere debet coram eodẽ,  
ut



ut Congregatio S. Officii informari possit de Statu Inquisitionis. *Carena l. c. tit. 13.*

*De familiaribus armatis S. Officii.*

22. Habere possunt Inquisitores familiam armatam, ut passim docent Canonistæ *in Clem. 2. de Hæret. §. fin.* in eam adlegendi sunt fideles, ac devoti, & laudabilis conversationis & vitæ. *Joan. XXII. Const. Exigit Ordinis vestri Religio.* In regnis Hispaniæ ex decreto supremi Senatus debent esse uxorati. Non debent esse alienigenæ, nisi magna subesset causa: *Pegna comm. 105.*

23. Familiares illi armati non debent abuti armis, sed tantum in eum finem, ob quem illis concessa sunt, nimirum ad capiendos Hæreticos, & ad personam Inquisitoris, & suam defendendam. Tenentur vi juramenti, quod præstant coram Inquisitoribus, denunciare Hæreticos, & de hæresi suspectos, & si id facere negligent, fautores dicuntur Hæreticorum, & ut tales possunt puniri. *Carena de Offic. Inquisit. p. I. tit. 14.*